

Abfalomum, vel Achitophelum. Nam vterque fraudulentè & iniquè cum Dauide egit. Insignis erat fraus Abfalomi, qui cum seditionem & excidium patris, regniq; inuasionem meditaretur, deuotionem sacrificandi in Hebron prætehebat.

2. *Quoniam tu es Deus meus, robur meum, quare deseris me? quare pullatus incedo, dum affligit inimicus?*

De hoc versu supra dictum est Psalmo præcedenti, versu 9.

3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam, illa deducant me: adducant me ad montem sanctum tuum, & ad tabernacula tua.*

Q. d. Illi me obsident ac persequuntur magno exercitu. Tu mihi faueas, & fidem tuam imperas: d mihi erit pro summa tuitione ac restitutione.

Hic exprimit quid petat, nempe restitutionem in regnum, ad montem Domini, ac templum eius, à quo erat perfidia ac seditione suorum pulsus.

4. *Vt ingrediar ad altare Dei, ad Deum, gaudium exultationis meae: & laudem te in cithara, Deus Deus meus.*

Cur tantopere restitui petat, satis hic declarat. Ad hoc videlicet, vt sit copia laudandi ac celebrandi Dominum in templo illius. Hæc erat animi ipsius pietas, hoc desiderium.

ALTERVM MEMBRVM HABET.

versum vltimum.

5. *Quare deprimeris anima mea, & quare tumultuaris intra me? Expecta Deum, quoniam adhuc celebrabo illum, salutem vultus mei, & Deum meum.*

Iste versus supra expositus est Psalmo præcedenti, in quo bis habetur.

Quid in his duobus Psalmis notandum sit.

Quæ generalia sunt, & perpetuò recurrentia, non est opus vt annotem. Quandoquidem hæcenus satis indicauimus, quid in eiusmodi locis obseruandum veniat.

OBSER.

1.

Psal. 42. versibus 1. 2. 4. 6. 8. & Psal. 43. versibus 3. & 4. obseruandum est ingenium verè piorum, quomodo affecti sint erga Ecclesiam Dei, & locum quoq; congregationis Ecclesiasticæ, in eo quod Propheta tam anxie queritur, quod prohibitus sit à loco templi Domini: ad quem se nō aliter aspirare dicit, quàm quomodo cerua in summo cæstu ad fluidas aquas anhelare soleat. Id desiderij exprimitur & infra, Psal. 137: Super flumina Babylonis, &c. Et Danielis 6. vbi legitur Propheeta apertis fenestris versum Hierosolymam in Babylone orasse, idq; cum vitæ periculo. Quid putas fecisset si liberum fuisset, ipsum petere templum?

Taxanda tamen est superstitio illa, qua nescio quid sanctitatis quibusdam locis affigitur. Hic locus, ad quem Dauid anhelat, habebat promissionem Dei, quod hic esset habitatio Dei futura. Nos habemus promissionem Christi, quod velit esse in medio nostrum. vbiunque duo vel tres in nomine ipsius congregati fuerint: Matth. 18. Redarguenda simul est sectariorum quorundam arrogantia, qui Ecclesiam Dei contemnunt.

OBSER.

2.

Psal. 42. vers. 3 & 10. *Vbi est Deus tuus?* Notandum hic est, quàm acerbum sit pijs, probrum & contumeliam Dei obiectam audire in afflictionibus. Vt enim omnem spem in Deum habent, à quo & toti pendent: ita nihil minus ferre possunt, quàm si obijciatur, vanam esse fidem ac spem in Deum, quasi non sit Deus, nec suos tueri vel possit vel velit: id quod plerumq; impij pijs in afflictionibus obijcere solent. Vide Psal. 79. & 115. Item 2. Reg. 19. in historia Ezechiae. Ita & Christi martyribus obiectum est ab aduersarijs, *Vbi est Christus tuus? vbi est Euangelium tuum? vbi fides tua?* Canta nobis, *Es wöll vns Gott genedig seyn.*

OBSER.

3.

Psal. 45. versu 5. & 11. Psal. 33. versu vltimo, *Cur deprimeris anima mea?* In hoc versu, qui vtoq; Psalmo tertio repetitur, notandum est, quæ pugna sit fidei & animi pij, piè quoque adfecti, in vno & eodem homine. Nam omnino pius erat gemitus ac fletus in Dauide, quem anima ipsius erga Deum, desiderio templi & arcæ Domini effundebat. Et tamen corripit illam spiritu fidei Propheeta, dicens: *Cur deprimeris anima mea?*

OBS. 4.

Spera in Deo. Ista est consolatio in vniuersis afflictionibus qua mentes piorum eriguntur, impiorum non tanguntur: videlicet vt bona spe simus erga Deum, etiam dum castigat ac reijcere videtur.

PSALMVS XLIIII.

AD PRÆCINENDVM FILIIS KORE,

erudiens, vel intellectus.

ARGVMENTVM PSALMI.

Habet iste Psalmus querimoniam super afflictione nō vnus tantum personæ, sed ipsius populi Dei in medio hostium agentis, & miserè habentis, plurèsq; tribulationes pro nomine Dei sui patientis. Ad quod verò afflictionis certum tempus, si Iudæos respiciamus referendus sit, non admodum liquet. Ipsum Davidis tempus tale non fuit, vt ad illud referri possit. Poterit fortè ad captiuitatē Assyriacam, vel Babylonicam, vel eas calamitates referri, quæ temporibus Machabeorum isti populo illatae sunt, in quibus certè propter nomē Dei Israelis multa passus est magna constantia: ad quā videntur spectare quæ à versu 18. vsq; ad 22. habentur. Iudæi exponunt hunc Psalmum de presenti ipsorum captiuitate, verum habet pleraq; quæ illi non conueniunt: non enim propter nomē Dei occiduntur, nec ipsi in testamento Dei sinceri persistunt. Psalmus

eorum